

Received August 1, 1766.

**XXXIV. A Letter from Mr. Wargentin,
F. R. S. and Secretary of the Royal Academy of Sciences at Stockholm, to the Rev.
Mr. Maskelyne, M. A. F. R. S. and Astronomer Royal at Greenwich, containing
an Essay of a new Method of determining
the Longitude of Places, from Observations
of the Eclipses of Jupiter's Satellites.**

Vir reverende atque celeberrime,

Read June 19,
1766.

A NTE triennium fere, dominus Ellicott tuo nomine ad me misit exemplar libri a te editi, *The British Mariner's Guide*, pro quo gratissimo munusculo maximas tibi ago gratias, debitasque statim persolvere voluisse, nisi eodem tempore indicasset Ellicottus noster, te tunc esse absentem, occerto videlicet longo in insulam Barbadoes itinere. Benigne excuses precor, quod jam demum officii memor, tibi gratuler felicem redditum, & munus astronomi regii nuper in te collatum, quo ut diu, in astronomiae incrementum, fungaris, opto, & ut illustrissimorum praedecessorum tuorum æmulus, parem acquiras gloriam.

Dictus liber fuit mihi dupli nominis acceptissimus, & argumenti pertractati elegantiâ, & ut amicitiae sponte



sponte mihi a te oblatæ tessera. Non honori tantum singulari, sed et certissimo usui mihi erit commercium litterarium cum primarii observatorii astronomo. Dabo operam, ut non prorsus indignus tuo favore videar.

Ne vacuæ ad te veniant primæ litteræ meæ, differentiunculam astronomici argumenti inferam, cum observationes alicujus momenti, quas tibi communem, jam non habeam.

Quamvis non dubitem, quin jam diu determinaveris longitudinem geographicam insulæ Barbatorum, ope observationum ibi a te habitarum, quæ extant in novissimo Transactionum Philosophicarum tomo; non tamen ingratum tibi futurum speraverim meum videre tentamen in ea re, quod simul est specimen methodi, quâ, nullibi quidem antea distincte explicatâ, per plures annos usus sum, quando ex observationibus satellitum Jovis, in aliquo disito loco institutis, ejus loci longitudinem elicere conatus sum.

Confusa & diu usitata methodus est, ut conferantur observationes habitæ in loco, cuius longitudo quæritur, cum observationibus institutis eodem tempore in observatorio quodam vel alio loco, quo longitudo determinatur. Si quæ inter illas occurrunt immediate correspondentes, ita ut eadem immersiones vel emersiones Satellitis cujusdam, præcipue primi utrinque, notatae sint, quodvis par correspondentium suppeditat differentiam quandam meridianorum; & si hoc modo inventæ plures differentiæ aliquantulum inter se discrepant, media inter omnes sumta pro verâ vel veræ proximâ haberi solet. Satis bene succedit hæc methodus, quando plurimæ suppetunt observationes correspondentes tam immersionum quam emersionum

primi,

primi, habitæ tubis vel telescopiis fere æqualis utrinque potentia. Et si sequamur regulas, quas huic negotio præscripsit celeberrimus astronomus Cæsareus Vindebonensis, pater S. J. Maximilianus Hell, in ephemeridibus suis astronomicis ad annum 1765, quæsitam meridianorum differentiam acū fere, quod aiunt, tangere licet, ne obstante quidem instrumentorum discrepantiâ & observatorum inæquali perspicaciâ. Laborat tamen illa methodus imperfectione quadam. Plerumque multæ in loco determinando factæ observationes nullam noctæ sunt in alio loco correspondentem; tum vero omnes illæ nullius fere in geographiâ sunt usus & quasi perditæ, quamvis fortassis per se sint præstantissimæ. Quid? si unatantum alterave, vel nulla proorsus reperiatur correspondens: contingit autem hoc sæpiissime, imprimis si locus, cuius longitudo quæritur, longe remotus est versus orientem vel occidentem ab Europâ, astronomiæ sede. Sic parti longe maximæ observationum Pekinensium deficiunt correspondentes Europeæ. Hujus quoque rei exemplo esse possunt tuæ, in insula Barbatorum versus finem anni 1763, & initio 1764 habitæ: nam inter 17 a te observatas eclipses primi satellitis, non nisi duæ, quantum quidem mihi constat, correspondentes habuerunt.

Ad supplendum correspondentium defectum, astronomi duplici incedere consueverunt viâ. Alii quærunt, anne aliqua eclipsium satellitis proximæ præcedentium, vel sequentium in observatorio quodam notata sit, quâ inventâ, & addito vel subtracto revolutionum intercedentium noto numero, invenire satagunt verum tempus, quo contingere debuisset in eodem observatorio eclipsis desiderata correspondens.

Sed

Sed aleæ plena est hæc methodus, revolutiones enim satellitis inæquales sunt, ut vix duæ vicinæ perfecte conveniant. Inæqualitates plerasque eruere docet quidem theoria, sed operosus labor est & lapsui obnoxius. Nonnunquam deficiunt observationes etiam hoc modo, mediate scilicet, correspondentes, vel nimis longe sunt remotæ a tempore desiderato, vel si quæ occurrit propinquior, una pluribus non sufficit. Sic toto mense Decembri, quo tu in dictâ insulâ septem observasti emersiones primi satellitis, unica tantum, quod sciam, in Europâ videri contigit. Si unica ista minus bona fuisset, & tamen omnes tuas ad illam exigere oporteret, anne in erroneam induceret meridianorum differentiam, tuis quantumvis per se optimis?

Melior fane est altera ratio supplendi defectum correspondentium, ope calculi ad datum meridianum facti, & addito vel subtracto tabularum errore, correcti, quem errorem aliæ observationes, eodem mense vel proximis habitæ, prodiderunt: nam hoc modo omnes observationes, in loco determinando institutæ, pro ratâ parte contribuunt ad indagandam longitudinem. Certitudo hujus methodi, quam ego potissimum expoliendam reor, ab eo pendet, ut pro quo-vis momento rite corrigatur error, cui tabulæ, etiam optimæ, sunt obnoxiae. Facile hoc fieret, si error iisdem annis vel saltem mensibus constans esset. Sed experientia docuit, observationes, circa idem tempus factas, quamvis ipsis observatoribus fere æqualiter bonæ sint visæ, inæqualiter tamen a calculo recedere; immo eandem immersionem, vel emersionem, a diversis astronomis notatam, sæpe multis secundis quin & integro minuto differentem dare calculi errorem, non totum tabulis vitio vertendum; sed quâ partem

ipsis observationibus. In hoc casu, valde frequenti, arduum est invenire verum tabularum errorem, nam, insciis observatoribus etiam exercitatissimis, saepissime irrepunt defectus, ut pro certis venditent observationes vitii non expertes. Si itaque, ut plerumque fit, una tantum alterave feligatur observatio pro inveniendo tabularum errore, facile in devia itur.

Hisce rationibus persuasus, necessarium omnino duco examinare ipsas observationes, antequam adhibeantur determinandæ per quamcunque methodum longitudini. Fieri id potest modo sequenti.

Omnis, quæ suppetunt, observationes ejusdem satellitis, præcipue primi, habitas circa idem tempus, tam in loco determinando quam in observatoriis satis antea determinatis, dispono, secundum temporis seriem, in tabulam. Differentiam meridianorum quæsi-tam tantisper assumo, quantum vel observationes, si quæ adsunt, immediate correspondentes offerunt, vel calculus non correctus unius observationis requirere videtur. Deinde ad tabularum amissin exigo omnes observationes, & inventum calculi errorem juxta quamvis anno. Quo facto, & attentè examinatâ errorum serie, satis patet, 1°, quænam inter observationes in locis determinatis habitas reliquis sint meliores & fide dignissimæ: 2°, quis eo tempore medius sit tabularum error; & denique, 3°, an quæsita meridianorum differentia major vel minor sit, quam quæ in calculo assumta erat, quantumque vel augenda vel minuenda erit, ut quam proxime pares prodeant calculi errores.

Quod ad primum attinet, verisimillimum utique puto, immersiones, quæ plerisque aliis multo citius, & emersiones quæ serius visæ sunt, inter minus certas esse

esse referendas, etiam si bonas crediderint ipsi observatores: nam theoria satellitum Jovis, imprimis duorum inferiorum, hoc tempore adeo exculta est, ut vix dubitare liceat, quin omnes ejusdem anni vel saltem mensis immersiones fere æqualiter a calculo receiverent, si observationes æquali gauderent certitudine. Idem de emersionibus seorsim dicendum. Ideoque variationes &c, ut ita dicam, saltus errorum, inæquali observationum bonitati videntur tribuendæ. His aliisque circumstantiis, præsertim observatorum de quavis observatione annotationibus bene pensatis, sat in propositulo erit verus vel medius tabularum eo tempore error. Si observationes in loco determinando habitæ pariter fere a tabulis discrepant, indicio est, assumtam tantisper meridianorum differentiam esse veram: si minus, quantum augenda, vel minuenda sit. Si immersiones majorem minoremve poscere videntur meridianorum differentiam, quam emersiones, id inæquali tuborum potentiae adscribendum, & media inter utrasque meridianorum differentia tanto certius pro verâ haberi potest, quanto plures utrinque observations eam confirment.

Sit exempli loco determinanda longitudo insulæ Barbatorum, ope 17 observationum primi satellitis ibi a te habitarum, mensibus Novembri et Decembri 1763, Januario et Februario anni 1764. Reperio alias 21 observations iisdem mensibus factas in Europâ, in locis probe determinatis, quarum duæ tantum tuis sunt correspondentes, quæ per medium dant differentiam 5 horarum, 10 minutorum, & 14 secundorum, inter meridianum observatori Stockholmensis tuique loci. Scire lubet, an illa reliquis quoque observationibus congruat. Omnes itaque horum mensium observations, additis ultimis in Octobri 1763, & primis in Martio 1764, in justum ordinem redigo, &

verum tempus secundum tabulas computo, quo qui-
vis in suo meridiano contingere debuisse.

Praeacto calculo, apparet, immersionses Europæas
alias paucis secundis serius, alias citius observatas fu-
isse, quam per tabulas oportuerat. Illas meliores jure
puto, has, præcipue quæ maxime discedunt, inter
dubias referto. Per medium, immersionses omnes
calculo quam proxime convenire debuisse videntur.
At inter 15 in Europâ observatas emersiones, pleræ-
que calculum aliquot, ubi maxime, 31 secundis præ-
verterunt, exceptis tribus Tyrnavensibus, quæ com-
putatis momentis serius visæ, ideoque vitio non carere
censendæ sunt. Media bonarum emersionum præces-
sio fuit 20 secundorum circiter.

Considerato ulterius tuarum observationum calculo,
vidi eas fere omnes, positâ differentiâ meridianorum
 $5^{\text{h}} 10' 14''$, multo magis prævertere computum,
quam Europæ, sed fere æqualiter a tabulis discessu-
ras, si differentiam meridianorum 22 secundis auxerim.
Eam itaque $5^{\text{h}} 10' 36''$, quam proxime æqualem
autumo; cuius rei ut fidem tibi faciam, heic subjun-
go omnes observationes, cum correcto tuarum calculo.

Parisienses habitæ sunt telescopio Gregoriano, dia-
metros objectorum 104^{es} augente, à Domino Messier,
in Observatorio Societatis Maritimæ, quod duobus
temporis secundis orientalius est observatorio regio.

Viennenses, à Rev. Patre Hell, S. J. telescopio
 $4 \frac{1}{2}$ pedum, in observatorio Cæsareo, cuius à Parisi-
ensi longitudine præcise est stabilita $56' 11''$.

Tyrnavenses a R. P. Weifs, S. J. telescopio 4
pedum Newtoniano. Differentia meridiani Tyrnaviæ à
Parisiensi observatorio est $1^{\text{h}} 1' 56''$ satis certa.

Meæ habitæ sunt tubo Dollondiano 10 pedum
egregio. Distat autem observatorium Stockholmense
à Parisiensi $1^{\text{h}} 2' 51''$, & à Grenovicensi $1^{\text{h}} 12' 7''$.

OBSERVATIONES COMPARATÆ PRIMI SAT. JOVIS.

	Tempus Observat.	Tem. comput.	Error comp.	Locus Obs. cum Annotationibus.
Ann. 1763.	D. h " "	h " "	" "	
Men. Oct.	23 13 32 21 Imm.	13 32 9 0	12 — Paris.	Serenum.
	23 14 27 50	14 28 18 0	28 + Vien.	Cœlo vaporoso.
	25 8 56 26	8 56 56 0	30 + Vien.	Ser. sed lunâ vicinâ.
	25 9 3 48	9 3 36 0	12 — Stockholm.	Bona visa, cœlo ser.
Nov.	1 9 55 6	9 54 59 0	7 — Paris.	Serenum.
	6 18 21 14	18 21 10 0	4 — Tyrnav.	Cœlo sereno.
	8 12 44 24	12 44 49 0	25 + Vien.	Cœlo vaporoso.
	10 7 17 36	7 17 48 0	12 + Tyrnav.	Cœlo sereno.
	13 15 5 38 Imm.	15 5 37 0	1 — Infusa Barbâd.	
	15 14 37 34	14 37 44 0	10 + Vien.	Cœlo fudo.
	17 8 9 39	8 9 47 0	8 + Paris.	Observatio bona.
	20 16 57 20	16 58 10 0	50 + Inf. Barb.	Per tenues nubes.
	22 11 26 6	11 26 12 0	6 + Inf. Barb.	
	22 16 34 10	16 34 53 0	43 + Tyrnav.	Serenum.
	24 10 2 13	10 2 0 0	13 — Paris.	Serenum.
Dec.	1 7 46 0 Imm.	7 45 58 0	2 — Inf. Barb.	Sat. contiguus Jovi.
	6 17 21 4 Em.	17 18 44 2	20 — Inf. Barb.	Jupiter imminent horizonti.
	8 11 46 35	11 46 33 0	2 — Inf. Barb.	
	10 11 24 45	11 24 56 0	11 + Stockholm.	Serenum.
	15 13 37 9	13 37 41 0	32 + Inf. Barb.	
	17 8 5 46	8 5 27 0	19 — Inf. Barb.	Aëre turbido.
	22 15 28 35	15 28 49 0	14 + Inf. Barb.	
	24 9 56 20	9 56 33 0	13 + Inf. Barb.	
Jan.	2 11 25 59	11 26 17 0	18 + Stockholm.	Cœlo serenissimo.
	2 11 19 10	11 19 37 0	27 + Vien.	
	4 5 47 15	5 47 29 0	14 + Vien.	
	7 13 39 43	13 39 30 0	13 — Inf. Barb.	Aëre turbido.
	9 8 7 20	8 7 29 0	9 + Inf. Barb.	
	16 9 59 38	9 59 52 0	14 + Inf. Barb.	
	23 11 32 36	11 52 52 0	16 + Inf. Barb.	
	25 6 20 51	6 21 15 0	24 + Inf. Barb.	Optima.
	25 11 31 20	11 31 51 0	31 + Stockholm.	Certa.
	8 10 9 19	10 9 50 0	31 + Inf. Barb.	
	10 8 46 6	8 46 24 0	18 + Paris.	Bona.
	10 9 47 41	9 47 18 0	23 — Tyrnav.	
	17 10 41 48	10 41 51 0	3 + Paris.	Bona.
	17 11 43 6	11 42 45 0	21 — Tyrnav.	
	17 11 44 22	11 44 40 0	18 + Stockholm.	Cœlo sereno, sed vehementiōri vento.
	19 6 13 22	6 13 39 0	17 + Stockholm.	Certe jam aderat; forte jam ante cœperat.
	19 6 6 34	6 6 59 0	25 + Vien.	
	19 6 11 45	6 11 44 0	1 — Tyrnav.	
	24 8 30 42 Em.	8 30 13 0	29 — Inf. Barb.	
	4 10 4 51	10 4 53 0	2 + Tyrnav.	
	4 10 6 41	10 6 48 0	7 + Stockholm.	Aurora Borealis circa Jovem.
Mart.	13 6 26 48	6 26 34 0	14 — Vien.	
	13 6 31 45	6 32 19 0	34 — Tyrnav.	

Jam ipsi tibi, vir celeberrime, relinquo dijudicandum, anne sensibiliter majorem vel minorem admittant hæ observationes meridianorum differentiam? Tuarumne idem fere inter se & cum tabulis consensus, atque est Europæarum? Videsne, quasi iectu oculi, quæ observationes erroris sunt suspectæ, quæ reliquis præferendæ? Quas ipse dubias notasti, calculus quoque arguit. Emercio die 6 Dec. omnium maxime, fine dubio, est vitiosa. Inæqualem tuborum potestatem etiam indicat errorum series: nam Weissius suo fere semper observavit immersiones citius, & emersiones tardius, quam reliqui. Tuum telescopium meo Dollondiano fere palmam præripere videtur. Si differentia meridianorum inventa non est exacte vera, eam potius aliquot secundis augendam quam minuendam puto, sed paucis.

Pari ratione differentiam meridianorum observatorii Grenovicensis & insulæ S. Helenæ inveni 23 minutis primis vix majorem, sed potius aliquot secundis minorem, nisi duæ ex emersionibus 15 ibi a te observatis sint prorsus rejiciendæ: immersiones enim solæ paulo majorem admitterent.

Persuasus sum, hanc methodum determinandi longitudines per observationes satellitum Jovis esse reliquis præferendam, quod evidentior & generalior sit, & præcipue quoniam simul indicat observationum majorum minoremve præstantiam. Sed satis de his.

Vale, vir æstumatissime, & fave,

Reverendi celeberrimique nominis tui,

Cultori sincero,

D. b. Stockholmiae,
die Julii, 1766.

Petro Wargentin.